

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0623

0621

0627

0617

0632

0612

0672

0572

0722

0522

1122

0122

Ende

Anfang

50

quod quaedam herba crescit in illo deserto, quae vocatur longusta, quam vulgares latini corrupte nominant locustam. De hac herba colligunt pauperes eamque manducant; et sanctus Johannes de ea pastus fuit. Unde antiqui monachi juxta Jordanem habitantes cottidie in reformatiis suis eo utebantur. Mel autem silvestre quidam dicunt illud esse, quod reperitur in truncis arborum per apes comportatum. Alii dicunt, quod sint quaedam arundines, in quibus dulcis succus nascitur, quae crescunt juxta Jordanem, quas nos nominamus cannas mellis, de quibus non mel, sed pretiosior liquor, zucharum, exprimitur. De his mellis dicunt Johannem manducasse. Sed alii pensantes verbum Domini, dicentis Matth XI: venit Johannes, inquit, non manducans, neque bibens etc., ibi dicunt doctores, ille dicitur non manducare neque bibere, qui non communi cibo et potu hominum utitur, et hoc, quod sumit, parcissime sumit, et in solitudine solus existens. Mella autem praedicta tam de truncis collecta, quam de cannis aut arundinibus expressa, veniunt in cibum non communem hominum, sed nobilium et (201 A) delicatorum et crapulosorum, et cibi alii, ut sint delicabiles et saporosi, conduntur et melle et zucharo, de quibus S. Johannem manducasse dicere fas non est, si enim in domo paterna noluit comedere cibum coctum, fructus, legumina, quomodo in deserto manducaret expressum zucharum, favos et mella? Dicunt ergo, quod sint certae quaedam radices herbarum, quae nominantur mel silvestre. Alii dicunt, quod mel silvestre sint quaedam folia quarundam arbustarum, alba, tenera et rotunda, quae manibus contrita habent quandam mellis saporem. Alii vero dicunt, quod ibi crescunt in quibusdam arbusculis folliculi, in quibus grana sunt sicut fabae, de quibus dicitur S. Johannes manducasse. De his campus totus fuit repletus, quando ego fui in illo deserto, sed fabae in illis folliculis erant durae, ut lapides, nec poteram dentibus aliquam dividere. Alii dicunt, quod in illo deserto sint arbores, quarum fructum carrobi nominant, sicut patet superius fol. 66 B, et sunt oblongi folliculi, nigri, qui excorticati boni sunt ad manducandum, et hos fructus ubique nominant panem S. Johannis, et mercatores specierum in suis pategis vendunt, et in oriente nullius pretii sunt, et pauperes homines colligunt,

